



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.





A. A. C. C.  
 DISPUTATIO  
 EXERCITATIONUM PHILO-  
 SOPHICARUM XXXI.

De  
**RELIQUIS ENTIS AF-  
 FECTIONIBUS DISJUNCTIS.**

Quam,  
*Altissimo benignè favente,*

SUB PRÆSIDIO

**M. TOBIÆ TILEMANI**

VVitteb. Colleg. Philos. Adjuncti,

*Liberalis exercitij gratiâ defendendam suscipiet,*

**CHRISTIANUS FINCKIUS,** Husen-  
 sis Holsatus.

*In celeberrimâ VVittebergensi Academia,*

*ad diem s. Januar. horis 8 loco solitis.*

Apollo Pythius, juxta Ciceronem  
 in lib. 2. de Legib.

*E varijs sumendum est optimum.*

VVITTEBERGÆ,

Typis Iohannis Gormanni ANNO M. DC. XI.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several columns and is mostly illegible due to fading and the texture of the paper.

pra  
rit  
leis  
habe  
luc  
cois  
lo  
abso  
fede  
modi  
gust  
as, S  
indist  
At c  
C, B  
Demo  
C 8  
maxim  
poti  
licia  
nicu  
accu  
rum  
Unde  
sequant  
de Eode  
bus in i

**M**  
prop  
omni  
absolu  
seni  
accu  
11



## P R Æ L O Q V I U M.

**D**ilectè & benè apud Herodotum, patrem Historiæ, Artabanus: Festinare quodvis negotium, gignit errores, unde maxima detrimenta exoriri solent; At in cunctando bona insunt, quæ si non statim videantur talia, tamen in tempore bona quæ esse reperiat, lib. 7, f. 378. Nam ut Livianum, gemmeum certè habet effatū, in lib. 22. ab V. C: Omnia non properanti clara certaq; sunt festinatio improvida est & cæsa; Usq; eò sanè, ut secundùm sententiam hanc rectè & condignè fuerit locutus sapientiss; & eloquentiss; Thucyd: lib. 31. duo adversissima esse rectè menti, Celeritatem & Iram. Et quidni esset? Ut enim canis festinans cæcos parit catulos, sicuti hoc habemus ex Primipilo nostro Aristotele. lib. 4. de gener. ar. c. 4: Ita & illi, qui rei, qualiscunq; etiam sit, instituendæ, non curam tam, quam celeritatem adhibent, nimioq; in eâ eviscerandâ & exsnuandâ ducuntur festinandi studio, haut secius fortecân ac canis è Nilo, ut vetus adagium est; Nunquam aut perrarenter, commodum ad finem eam deducere, absolutamvè ritè & cum fructu, utilitatisq; alicujus sensu dare possis sunt, sed enim cum fæda suscepti laboris frustratione, imò cum dedecore non minimo, inexpeditam illam ipsam modis multis tandem abjicere, relinquereq; coguntur. Unde feliciss; Imperatorum Augustum & dicerè in sermonibus, & scribere in epistolis solitum esse ajunt, πρὸς τὸν Ἐραδῆωσ, Sueton. in August. c. 25, Per quod monebat, ut ad rem agendam simul adhiberetur & industriæ celeritas, & diligentia tarditas, ut eximie autor eximius Gellius lib. 10. Nost. Att c. 11. Hinc enatum est illud Philosophi, πρὸς ἀπείρου δὲ ταχὺ τὰ βραδύθεντα, βραδύθεντα δὲ βραδύως, lib. 6. Eib. c. 9. Et hoc oratorum græcorum principis, Demosthenis, δὲ βραδύθεντα ἐφ' ὑποχίας, ποιῆν δὲ τὰ δόξαντα μετὰ σπυδῆς, Exord. 22. Quæ omnia sicubi attentè sunt attendenda, maxime me Christe maximo studio observare convenit in adoratione & perpensione disciplinarum, illarum potiss; quæ præ cæteris dignitate & nobilitate sunt conspicuæ: Vbi nihil non longâ & sollicitâ animi provisione est expendendum, illorumq; unice insistendum vestigijs, qui, ut Comicus, — Quicquid est incòstitum non expròmunt, bene còstitum duunt. Quare & Nos accuratiorcm hanc in Exercitationibus nostris Metaphysicis de nihilo esse nolimus, verùm singula in istis altius paulùm repetere, lentiudinemq; quandam adhibere voluimus: Unde dum nuper de affectionibus Entis disjunctis dictum est, quæ eius naturam proximè sequuntur, jam seorsim hac vice de reliquis, quæ ad naturam unius referuntur, nimirum de Eodem & diverso, de disparatis & oppositis, ac demum de singularibus & universalibus, in insequentibus thematibus acturi sumus.

### T H E S I S I.

**M**anifestum est & indubium, quod ex unitate oriatur, ut vocant, Identitas, ex multitudine verò Diversitas lib. 5. Metaph. t. 16; Neq; tamè propterea omne discrimen inter hæc attributa cessat: Nam unum dicitur de omnibus inter se unitis, vel aliquo modo consentientibus, tribuiturq; entibus absolutè consideratis; At idem cuilibet eorum assignatur, quæ inter se consentiunt ac uniuntur, ac dicitur de rebus inter se comparatis. Sic Homo & Leo unum genere sunt, propterea homo dicitur idem genere cum Leone.

II. Ratione parili, non absimile servatur discrimen inter Diversum &



multa: Siquidem plura sunt divisa & dicuntur multa, verum quodlibet eorum denominatur diversum; Sic homo, leo, bos, asinus multa omnino sunt, at homo diversus dicitur à reliquis, & quodlibet eorum à reliquis diversum est.

III. Hinc patescit, quod juxta modos unius res denominentur eadem, & modos juxta multitudinis dicantur diversa: Sic quia datur unum genericum, dantur quoque entia genere eadem, & quia datur unum specificum, entia quoque dantur specie eadem; contra, quia plura sunt genera, sunt quoque entia genere diversa, & quia plures species sunt, sunt res quoque distincte specte.

IV. Proinde in praesentiarum missos facimus illos identitatis aut diversitatis modos, qui ex modis unius aut è traditis à novo intelligi possunt, animique traducimus commendationem omnem ad duo illa communissima, & ab omnibus distinctionum genera recepta, Realem scilicet & Rationis distinctionem, ex qua de modis Identitatis judicare nemini non integrum, & ex facili quidem, erit.

V. Est quoque distinctio Realis ea, quae à rebus ipsis est desumpta, juxta quam res distincte apparent etiam extra operationem mentis: Id quod contingit, si diversos in sensibus per se pariant conceptus, non formatos ab intellectu respectu alicujus externi objecti. Distinctio Rationis est, quae fit solà consideratione & conceptu mentis.

VI. Distinctio Realis triplex iterum esse videtur, Realis sic dicta proprie, Formalis & Modalis: Quae enim in naturam existunt, vel in diversis sunt subjectis, vel inhaerent iisdem; Et haec duplicia sunt, vel enim definitione & essentiam differunt, vel cum essentiam non habeant, distinguuntur tanquam res & modus.

VII. Quam ob rem distinctione Reali, ut prius sic dicta, differre ea dicuntur, quae vel diversa subjecta constituunt, vel diversis insunt subjectis: Formaliter vero distinguuntur, quae definitione & essentiam differunt, quaeque non infrequenter etiam reali distinctione, genuinè dicta, discernuntur; Modaliter demum separantur distinctione, res & modus rei. Cum enim in rebus advenitur aliquid, quod principium non est affectionum & operationum, & tamen omnino reale quid est: Ideo non res, sed appellatur modus rei, modalique à rebus distinctione differre adferitur.

IX. Distinctio Rationis vel est pura, quando neque in re, neque in virtutibus sive effectibus rei est distinctio, sed solus intellectus illam sibi fingit, uti, V. G. potest distingui Homo & Animal rationale: Vel Eminens, quando aliquid fundamenti datur in rebus, quod tamen non est procedens aliqua in rebus actualis

actualis, sed virtualis distinctio, aut habitudo aliqua ad res alias, verè inq<sup>3</sup>  
ipsâ re distinctas, penes quas distinctio talis excogitatur seu concipitur.

IX. Porro quæ realiter discrepant illa vel diversa sunt quæ non per rem a-  
liquam sed per modum rei, & proinde solo distinguuntur supposito: vel differ-  
re dicuntur, per aliquod scilicet, quod vel genus est, vel species; Ita ut omne  
verè differens, aut genere aut specie differat, lib. 10. Met. c. 3. Genere disse-  
runt, quorum non est communis materia, neque mutua generatio, seu quæ  
in quadam communi ratione univocâ non conveniunt, & in diversis sunt ca-  
tegorijs, lib. 5. Met. c. 28.

X. Specie verò differunt, quorum idem genus est, vel quæ in eadem præ-  
dicamenti sunt serie: Arguitq<sup>3</sup> specificam hanc differentiam tum definitio  
essentialis diversa, tum operationes atque affectiones quarto modo propria  
essentialiter diversa. Tribuitur discrimen hoc, 1. Speciebus ultimis, quæ ex  
æquo sub genere continentur, & in species inferiores dividi nequeunt: 2.  
Speciebus sub alternis, quæ species inferiores sub se continent; 3. Tandem ad  
illâs etiam refertur species, quæ ex æquo genus idem non respiciunt, cum u-  
na sit communior alterâ, quo modo specie differre dicuntur homo & planta.

XI. Opinio autem vehementer absurda est illorum, qui specificum hoc di-  
scrimen etiam ad individua extendere conamine magno conantur: sed co-  
nantur; Nam si individua specie differrent, tunc præter cetera, definitio essen-  
tialis diversa ipsis esset assignanda, haberent contrarietatem in formâ &  
essentiâ, essentq<sup>3</sup> diversa species, id quod de ipsis affirmari nullâ potest ratio-  
ne, & si quis hoc facere attentaret, idem, ut poeta scitè -- jungat vulpes, &  
mulgeat hircos.

XII. Et licet non tam largâ concedamus quàm manu exposcimus strictâ,  
Individuorum formas, indeq<sup>3</sup> & eorundem essentias esse diversas: Interim  
tamen non subolet Nobis num hinc comitò inferendum sit, quod etiam forma-  
liter differant, aut quod individuorum formæ sint diversæ per novam quan-  
dam formam singularem; si, vidè quæ diversa sunt, ut luculentè inquit Phi-  
losophus, per aliud non sunt diversa, sed per modum saltem existendi (quò  
vulgo numerica distinctio) distinguuntur. lib. 10. Met. c. 3. quamvis diversita-  
tis origo formæ, tanquam causæ efficiënti sit ascribenda.

XIII. Neq<sup>3</sup> sententia hac recepta in illud incidimus ἀτοπov, ut numeri-  
cam substantiarum diversitatem accidentibus attribuere cogamur: Funda-  
tur enim in diversâ earum existentia illa unice, quæ non est accidens aliquod  
sed motus ipsi substantiæ adharens; Oritur verò ex ipsa forma specifica tan-  
quam causa efficiente, Sed ad institutum. A 3 14. Itaq<sup>3</sup>

XIV. Itaque quæ genere aut specie differunt, vel Disparata, vel sunt Opposita: Disparata sunt duæ species diversæ, ex quibus permanentibus, & nomen speciei retinentibus, non potest Natura (potest autem ille qui supra Naturam) facere unum per se, sicut ex genere & specie imò etiam speciebus subordinatis unum ens per se fieri potest; Non enim species una disparata alterius recipere existentiam potest, sed semper duæ res diversæ manent, ut Homo & Asinus, Albedo & scientia.

XV. Ille igitur unionis modus planè est  $\mu\omicron\nu\acute{o}\tau\rho\omicron\pi$  &  $\kappa\alpha\iota$   $\epsilon\acute{\zeta}\acute{\omega}\rho\epsilon\tau$ ,  $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho$   $\Phi\acute{\upsilon}\sigma\iota\nu$ ,  $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho$   $\nu\acute{\epsilon}\nu$ ,  $\acute{\upsilon}\pi\epsilon\rho$   $\lambda\acute{o}\gamma\omicron\nu$ , quo Verbum caro factum est, Deusq; & Homo ita arctissimè copulantur, ut humana natura retinens essentiam suam in unitatem personæ divinæ assumatur, & ex finita infinitaq; natura unum fiat  $\acute{\upsilon}\Phi\iota\sigma\iota\mu\epsilon\nu\omicron\nu$ .

XVI. Opposita sunt, quæcumq; ab eodem subjecto, quod recipere ipsa idoneum est, secundum idem simul recipi non possunt, & modo quodam certo se inter pugnant: Vnde est in proclivi colligere, quænam ab invicem discriminantur disparata & opposita; Inter illa enim talis datur dissensio, ut ad rem unam constituendam concurrere nullo possint modo, inter hæc autem tanta intercedit pugna, ut etiam in eodem subjecto simul conjungi recusent.

XVII. Suntq; oppositorum genera quatuor: Quædam namq; res ita affectæ sunt ut mutuo quidem respectu inter se comparentur, verum cum comparatio ista diversos flagitet terminos, eidem subjecto inesse nequeunt; Hæc relativi & correlati est ratio, quæ ad invicem essentia sibi largiuntur, sed cum idè ad seipsum referri nequeat, diversum semper requirunt subjectum, cui inhereant.

XVIII. Deinde in rebus quibusdam tanta datur oppositio, ut quod per unum ponitur terminum, id per alterum totum removeatur; Sicq; se inter pugnant, ut affirmatio & negatio: Et inter hos terminos oppositio contradictoria, quæ omnium maxima est, uti prior est minima, versatur, estq; perpetua & infallibilis veritatis mensura, ac nullum medium unquam admittit. Solet aliàs hæc oppositio exprimi per terminos, inter quos versatur, nim. per Ens & non Ens: Vbi tamen solertius advertendum est minimè particulam NON notare Nihil privativum, sed negativum, quod respectu habet vim non tantum removendi formam, sed & ipsum destruendi subjectum.

XIX. Ad hæc forma quæ interdum per unum terminum exprimitur, per alterum removetur, ita tamen ut commune subjectum utrobique notatur, inter se dissentire facit Habitum & Privationem: ad quam oppositionem tria requisita necessaria sunt, I. Subjectum  $\pi\epsilon\Phi\upsilon\nu\acute{\omega}\varsigma$ , Saxa enim nunquam dicuntur

tu



tur surda, muta, &c. 2. Pars, cui habitus secundum naturam aliàs inest, uti qui oculis non cernit, cæcus est, non verò ille mutus, qui digito non loquitur. 3. Iustum & naturâ destinatum tempus, ideoq; catulus antè diem 9. cæcus non dicitur, &c.

XX. A privatione autem naturaliter non datur regressus ad habitum, neq; datur ad eundem numero habitum, si actus primus fuerit destructus: Interim fieri quit, ut si habitus quo ad actum secundum impediatur, iterum sese vindicet, inq; pristinum suum statum restituatur; Imò divina etiam potentia recuperari potest, quod planè amissum, perditumq; videtur.

XXI. Tandem res quædam & genere & subjecto conveniunt, sed formâ sive differentiâ opposita dissentiunt, ac datur in his contrarietas: Qua de causa opposita contraria sunt ea, quæ sub eodem genere constituta ab invicem maxime sunt remota & extremorum vicem gerunt, atq; ex eodem sese mutuo subjecto expellunt, nî alterum à naturâ insit. Verum chartæ angustia cogimur filium hîc abrupte tractationis Oppositorum, citatimq; accedere ad singulariû & universaliû, considerationem quæ adhuc in residuo restat.

XXII. Si enim unitatis modi exactius pensculantur, in obscure deprehenditur, formam in omnibus planè similem non esse: Sunt enim res quædam, quæ talem sortitæ sunt unitatem, ut nullâ ratione multiplicentur aliâve planè similem producant, convenientem in conditionibus individuanti- bus essentiam, & hæ vocantur Singulares; Quædam verò multiplicantur, & pluribus conveniunt, suntq; universales.

XXIII. Omnes autem res, quæ existunt, singulares sunt, quippè quæ certam & determinatam habent Entitatem, indeq; necessariò adjunctam negationem, ut dividi à seipsis non possint: Ergo nec potest dividi Entitas illa in plures, quæ tales sint qualis ipsa est, alioquin tota illa Entitas esset in singulis, ac dependenter, ut est in una, divideretur à seipsa, prout in alia est, quod manifestam inuoluit repugnantiam.

XXIV. Vt verò res sit singularis sitq; jam ut est dictum, in communi- cabilis, non Materia, qualis illa qualis, non accidens aliquod, sed in primis formâ & illa quidem specifica (quid enim individualis?) facit: Huic enim cum in solidum debeat existentiæ rerum & perfecta quoque non dene- gari subsistentia possit, etiam illud meritisimò ei adscribendum, quod insolu- bili cum existentia nexu coheret, quodque est nil aliud quam singulare, vel individuum. Nam cum perfecta adest subsistentia, datur de necessitate omni suppositum aliquod: Nullum verò suppositum est quod non sit singulare.

XXV. *Universale, ad extremum, est vel complexum, uti est propositio universalis, de qua in Logicis, vel Incomplexum, quo simplex terminus notatur: Tribuiturq; iterum vel causis universalibus, qua vocantur in cauendo, vel idem Platonice, & nominantur in essendo, seu Ante multa, vel vocibus plura significantibus, ut sunt in significando, vel demum ijs, qua de pluribus enunciari possunt, ac dicuntur in predicando sive post multa universalis, quibus universale in multis annumeratur, quod huius potiss. loci.*

XXVI. *Estque id, quod cum sit unum, pluribus tamen natura inesse aptum est, lib. 7. Met. c. 13. Vnde duo maxime in eo attendenda, Vnitas nim. ipsa sive ενωσις & κοινωσια; Inde q; distinguendum accurate inter universalis Materiale, quod est ipsa formalis rei ratio, ut Humanitas, &c. Et inter formale, quod consistit in unitate, qua totum constituit sub se partes habens subjectivas. Ex hisce facile intelligi datur, universale hoc & dari extra mentem, materialiter scil. & κατὰ τὴν κοινωσιαν, & non dari, formaliter nempe & καθ' ενωσιν.*

XXVII. *Sunt autem universalis huiusmodi numero quinq; qua in singularibus retineant unitatem eandem formalem (qua est essentiae unitas, orta ex unione partium essentialiter inter se coherentium) & dum secundum essentiam in causis suis considerantur apta sunt pluribus individuis fieri communia 1. Genus est secundum quod unum dicitur duo specie vel essentia differentia, lib. 10. Met. c. 3.*

XXVIII. 2. *Species cuius natura magis est angusta, & notat totam unius cuiusque rei quidditatem, ac pluribus numero differentibus inest, lib. 7. Met. c. 7. 3. Differentia, qua cum genere constituit speciem, dividit quoque & genus contrahit, facitq; ut species ab aliis rebus essentialiter differant.*

XXIX. 4. *Proprium, quod cum essentiam rei consequatur, salva eius essentia, abesse nequit. 5. Demum accidens est, quod potest abesse & abesse praeter subjecti corruptionem Sed satis: Sicq; hactenus praecipua Entium attributa gratia brevitate persecuti sumus, si qua restant, ea facilliora sunt, & ex praemis sponte sua innorescunt, &c*

#### ADJECTANA.

1. *In una essentia divina tres sunt personae realiter distinctae. 2. In eadem tamen minime datur aliud atque aliud ab ipsa realiter distinctum. 3. Quae realiter differunt possunt a se invicem separari. 4. Et quaecunque definitione, ea penitus differunt. 5. Animal & Homo formaliter ab invicem discriminantur. 6. Oppositorum uno dato, alterum quoque dari necesse est. 7. Eorum eadem etiam est scientia. 8. Unum uni tantum contrariatur. 9. Genus minime in una specie perfectionem suam consequitur. 10. Differentia una ad speciem constituendam sufficit, &c.*

FINIS.

Umg. VI 26

= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





A. A. C. C.

DISPUTATIO  
ATIONUM PHILO-  
SOPHICARUM XXXI.

De

UIS ENTIS AF-  
NIBUS DISJUNCTIS.

Quam,  
Simo benignè favente,

SUB PRÆSIDIO

IÆ T I L E M A N I

Colleg. Philos. Adjuncti,

gratiâ defendendam suscipiet,

ANUS FINCKIUS, Husen-  
sis Holsatus.

â VVittebergensi Academia,  
s. Januar. horis 8 loco solitis.

Pythius, juxta Ciceronem  
in lib. 2. de Legib.

is sumendum est optimum.

VITTEBERGÆ,

is Gormanni ANNO M. DC. XI.

